

Stephanus Galdeti

⟨*Notae de primo ente*⟩

Editor: Alexander Baumgarten

work in progress
09.10.2024

Manuscripts:

P1 Paris, BnF lat. 16408

P2 Paris, BnF lat. 16409

Project NOTA-ERC

⟨Notae de primo ente⟩

P1 122r,
P2 184v

|| In principali et finali facto, tange de ordine dictorum, volitorum, scitorum et huius altius quo poteris catholice.

De habitudine primi entis ad alia a se potest poni primo quod Deus cuiuslibet alterius a se est perfectionaliter contentivus ac gradu uno simplicissimo intrinsece essendi excessivus. De hoc alias contulisti cum fratre ANGELO.

Quod primum ens est cuiuslibet alterius a se causatum saltem finaliter, ubi de formaliter et materialiter agere potest, ut contulisti cum fratre IACOBO etc. et in *Quolibeto* etc.

Quod primum ens est cuiuslibet alterius a se productivum et effectivum, contra philosophos qui posuerunt solum esse simplicem eo quod optime se habens non indiget motione.

Quod est etiam cuiuslibet alterius a se determinative cognitivum contra COMMENTATOREM et philosophos et nonnullos theologos, scilicet AUREOLUM.

Quod est etiam cuiuslibet libere volitivum etc. Patet processus et e converso secundus articulus correspondenter de creaturis et in his multe difficultates, ymmo pene omnes tam speculative quam morales per numerum.

Qualem actum habeat circa prescitum potest inquiri

Quod est locus omnino ambituosus et de vacuo extra celum, quod non est vacuum simpliciter nec potest esse, et sic omnia sunt in Deo et non solum ab ipso et per ipsum et ad ipsum et in ipso. De habitudinibus causalibus alibi modicum etc.

Quod Deus intellectualis cuilibet potentie intellectivae in qua infallibiliter terminatur omne verum. Quod est speculum in quo infallibiliter cuncta representantur quinimmo species intellectualis visorum in ipso, non tamen actus.

Quod sit orandum pro perseverentia Domini propositi, nam si Deus

2 facto] d *add. sed del. P2* 3 poteris] *sup. lin. P1* catholice] etc. *add. P2* 8 saltem] *iter. sed del. P2*; formaliter *add. sed del. P2* 11 a] *pro add. sed del. P2* 12 simplicem] *formam P2* 14 etiam] *iter. P1* 18 secundus articulus] *sup. lin. P1* 25 causalibus] *habet add. sed del. P1* 26 cuilibet] *cuilibus coni. P1* 27 infallibiliter] *cur add. sed del. P2* est] *in add. P2*

esset mutabilis in proposito ut princeps terrenus, precandus esset ut
 persisteret, et si posset non velle quod vult et voluit, orandus esset
 ne sic ageret, || sed nunc quamvis non possit velle quod voluit, tamen
 quod semper voluit potest non solum nunc non velle sed non numquam
 5 voluisse, igitur super hoc orandum.

P2 185r

Pro actibus creature rationalis ad Deum habendis rationabiliter
 videndus GUILLELMUS PARISIENSIS. Et siqua sint similia, ut Hermes,
 de verbo eterno per BREDWARDIN allegatus multotiens et similes. Item,
 libellus *De vera sapientia*, capitulo De fide et legibus — GUILLELMUS
 10 PARISIENSIS.

De ordine actuum in quibus subesse debet rationalis creature suo
 creatori qui sequitur ex ordine actuum divinorum ad creaturam de
 obligatione credendi, fruendi, sperandi etc. continendi, constandi etc.
 virtutum moralium theologicarum.

In omnibus hiis potissime in primo articulo victa et vitare te pretende
 causando processum logicum ac mathematicum solum philosophicum
 speculativum ac moralem et processum methaphisicum et theologicum
 proseguendo. || Quomodo philosophi erraverunt non videntes nec
 cognoscentes aut credentes Deum agere libere per intellectum et
 20 voluntatem propter quod mundi talitatem intelligere non potuerunt?
 Quomodo scilicet ab eterno temporali, ab immutabili mutabile, ab uno
 multa, ab uniformi varia, a necessario contingentia, ut alibi intrasti et
 multiplicare poterit.

P1 122v

In hiis agendis circa principia statue, videlicet GUILLELMUS
 25 PARISIENSIS, *De fide et legibus* quoad actus et cultus a creatura
 rationali Deo debitos etc.

Summa contra gentiles SANCTI THOMAE de veritate catholice
 fidei et de conditionibus divinis et perfectionibus ad nos et ex consequenti
 obligationibus nostri ad ipsum etc.

Item *Summa de causa Dei* contra pelagianos, ubi multa videnda
 quorum aliqua tenenda et aliquorum opposita, ut nostis.

Et eodem modo de aliis duabus doctoribus ante agendum, puta
 de SANCTO THOMA et GUILLELMO PARISIENSI, quod etiam in multis

1 princeps] principes P1 1-2 ut persisteret] semper nunc non add. sed del.
 P1 2 et si] sup. lin. P1 3 quamvis] sup. lin. P1 ; quodlibet P2 non]
 solum add. sed del. P1 11 creature] creatura P2 12 creatori] creatura P2
 14 theologiarum] theologorum P2 15 victa] vita P2 te] pred add. sed
 del. P2 17-18 et processum — proseguendo] om. P2 19 libere] p. c. P2
 22 multa] u add. sed del. P2 ab] ad P2 uniformi] patria add. sed del. P2
 et] multip add. sed del. P2 33 in] om. P2

oppositum teneri potest probabilius, ut alias aliquid etc.

Hiis adde

Vide insuper in materia de habitudine primi ad creatura de causalitate et principalitate divini velle et de eiusdem libertate intrinseca, ut alias
5 per quod patet quomodo ab eterno temporali a necessario contingens a simplici uno plura ab uniformi diversa.

Quomodo actus nullius divini intellectus causaliter prius se habet ad existentiam creature vel ad fore. Quomodo intelligatur productio etc. per verbum vel per dicere, etsi verbum aliquam habitudinem ad
10 creaturam || productam habeat quam non alie divine persone.

P2 185v

Item, de habitudine Spiritus Sancti ad mentem sanctificatam an aliquam habitudinem habeat quam alie persone et an detur datione alia a donis suis huius persone. De hiis HUGOLINUS et, si poterit, RUPAM.

In his duobus quorum primum est de habitudine primi ad alia, scilicet
15 creata, agi posset de divino dominio et eius actibus, scilicet donatione, benedictione etc. In secundo, de obligatione creature rationalis ad castum amorem deitatis et de bonitate morali et conformitate ad primam regulam etc.

|| De orationibus de quibus supra orandum est, ut effectus divine
20 predestinationis eveniat qui potest non evenire, quamvis certum sit quod eveniet ex infallibilitate et immutabilitate divine preordinationis vel determinationis divine voluntatis ad sic fore. Et hoc quia potest non evenire, et per consequens orandum est predeterminatio huius divine voluntatis. Stet, quia potest non esse ac numquam fuisse predestinatio vel
25 predeterminatio aliquod sic fore et forte non propter huius contingentiam stantem cum immutabilitate, sed propter conformitatem ad divinam voluntatem. Tenemur enim velle et optare et ora(re) ut divina volita eveniant iuxta illud *fiat voluntas tua* maxime illa que non solum Deus vult fore, sed vult nos velle illa fore seu approbat aut iubet sic a nobis esse volendum, non sic autem foret de volitis ab eo esse vel fieri que non
30 vellet vel non approbaret seu non conferet iustum esse ut illa vellemus, quamvis efficaciter vellet nos velle. Sed de hoc alibi in quolibetis et vesperiis.

P1 123r

Non autem orare debemus pro quolibet bono nobis possibili. In
35 demerito prescito seu dampnato possibile est ipsum salvari ac fuisse eternaliter predestinatum, nec tamen pro hoc orandum, quia hoc esset se difformari divine voluntati, non solum efficaci, sed approbative

1 probabilius] probabibilius *coni. P1* ut] *p. c. P1*; alibi *add. sed del. P2*
3 primi] premii *P2* de²] et *P2* 10 productam] *sup. lin. P1* 13 et si poterit Rupam] *om. P2*

vel preceptive, qua precipit vel iubet non orandum pro opposito sue voluntatis scite. Ubi autem dubium vel non certum est addenda est circumstantia divine volutionis, sicut ibi: *Pater, si possibile est* etc. quod credendum est Christum orasse ut nobis modum et exemplum orandi
5 daret. Ipse enim bene sciebat quod non erat possibile seu preordinatum a Patre ut transiret huiusmodi calix quinimmo oppositum etc. et ideo non pro se sic loquebatur sed pro nobis. De hoc alibi in quadam ordinaria.

7 de hoc — ordinaria] *om. P2*